

tam praua & aliena à veritate Scripturæ interpretatio, quæ fit de cap. 1. Genes. vers. 27. Veterem tamen fuisse de ea re quæstionem & inter Patres veritatam apparet ex Irenæi libro 5. cap. 1. Augustin. lib. 3. de Genes. ad liter. cap. 19. & aliis authoribus, veluti Ambrosio, Chrysostomo & Basilio in Exameris, sed tamen hominis anima, non in corpore semper ab iis posita est imago Dei in homine. Quid sit autem illa, & qualis, explicat Paulus Coloss. 4. vers. 10. Ephes. 4. vers. 24. nec melior interpres quærendus erat. Ergo ad Anthropomorphitas istos refero, & ad eorum tēpora. Huius hæreseos meminit Isidor. lib. 8. etymologiar.

CAP. LXXVII.

Opheorum error quis fuerit.



Lia dicit innumerabiles mundos, sicut opinati sunt quidam philosophi gentium.

(In indice præposito huic operi vocantur Ophei qui hoc delirium amplexi sunt siue quòd ab Ophitis hæreticis orti sunt, siue quòd Opheus quidam eorum author fuerit, quos tamen à Valentinianis & Basilidianis potius ortos esse iudico, qui 365. cælos constituunt. Quid enim facilius fuit, quàm post cælorum globos inductos facere mūdōs innumerabiles? Quod antea ab ethnicis philosophis traditum erat, quemadmodum à Democrito Abderita, & Epicuro Atheniensi. Id quod in eorum vita refert Diogenes Laertius, lib. 9. & 10. Lactant. De ira Dei, cap. 10. Origenes quidem libr. 3. *περὶ ἀρχῶν*, cap. 5. opinatur præter hunc visibilem & conspicuum mundum, alium quo-

c c. iij.